

præteribunt. Imò cum illis obijcitur, mortem Christi vocari unicam hostiam, ita se expediunt: eandem, nõ diuersam esse, quam offerunt in sua Missa. Cõstat ergo, quæ in alijs probant, & sibi ipsis permittunt, maligno liuore in me damnare. Facile tamen patior, ab eorum sacrilegijs longissime distare quæ dixi. Absit enim vt missali eorum sacrificio consentiens, mortem filij Dei perfida abnegatione repudiem. Neque enim mors Christi reconciliatio mundi est, nisi unicum sit expiandis peccatis sacrificium. Unica enim oblatione absoluit in æternum sanctificatos, inquit Apostolus Hebr. 9. 10. c. 14. Semel oblatum fuisse passibilem garriunt? Quasi vero sancta & immutabilis Dei veritas, simulacrum porcus ingesserit, euerti queat. Vnde enim hæc distinctio? Scriptura, Christi mortem unicum pro peccatis sacrificium esse docet. Eludit Sorbona, fuisse hoc passibilis Christi sacrificium. Quo iure? Quanquam superuacua est ista quæstio. Nã si concedimus quod necesse est, placatum fuisse Deum filij sui morte: non aliunde petenda est remissio peccatorum, nec alibi satisfactio cogitanda est. Et Apostolus do-